



CONVIVIUM ROMANUM

*Sapias et Liber Eris*

## *I CERTAMEN URBIS - MMXII*

### *Indirizzo classico-scientifico fascia biennio*

*Il candidato, dopo aver tradotto il testo, analizzi gli usi di « cum » e di « ut » presenti nella prima, quarta, dodicesima e quattordicesima linea*

#### **LA GUERRA SOCIALE**

Sociale bellum vocetur licet, ut extenuemus invidiam; si verum tamen volumus, illud civile bellum fuit. Quippe cum populus Romanus Etruscos, Latinos Sabinosque sibi miscuerit et unum ex omnibus sanguinem ducat, corpus fecit ex membris et ex omnibus unus est; nec minore flagitio socii intra Italiam quam intra urbem cives rebellabant. Itaque cum ius civitatis, quam viribus auxerant, socii iustissime postularent, quam in spem eos cupidine dominationis Drusus erexerat, postquam ille domestico scelere oppressus est, eadem fax, quae illum cremavit, socios in arma et in expugnationem urbis accendit. Quid hac clade tristius? Quid calamitosius, cum omne Latium atque Picenum, Etruria omnis atque Campania, postremo Italia contra matrem suam ac parentem urbem consurgerent; cum omne robur fortissimorum fidelissimorumque sociorum sub suis quisque signis haberent municipalia illa prodigia, Poppaedi Marsos, Latinos Afranius, Vmbros Plotius, Egnatius Etruscos, Samnium Lucaniamque Telesinus; cum regum et gentium arbiter populus ipsum se regere non posset, ut victrix Asiae et Europae a Corfinio Roma peteretur? Primum fuit belli in Albano monte consilium ut festo die Latinarum Iulius Caesar et Marcius Philippus consules inter sacra et aras immolarentur. Postquam id nefas prodicione discussum est, Asculo furor omnis erupit, in ipsa quidem ludorum frequentia trucidatis qui tunc aderant ab urbe legatis. Hoc fuit inpii belli sacramentum. Inde iam passim ab omni parte Italiae duce et auctore belli discursante Poppaedio diversa per populos et urbes signa cecinere. Nec Hannibalis nec Pyrrhi fuit tanta vastatio.

(Annio Floro, *Epitome de Tito Livio bellorum omnium*, II, 6)

# *Indirizzo classico-scientifico*

## *fascia triennio*

*Il candidato, dopo aver tradotto il testo, ne puntualizzi anche con un breve commento storico-linguistico l'attualità*

### **LA CAPACITÀ DI INCLUSIONE È LA FORZA DI ROMA**

His atque talibus haud permotus princeps et statim contra disseruit et vocato senatu ita exorsus est: «maiores mei, quorum antiquissimus Clausus origine Sabina simul in civitatem Romanam et in familias patriciorum adscitus est, hortantur uti paribus consiliis rem publicam capessam, transferendo huc quod usquam egregium fuerit. Neque enim ignoro Iulios Alba, Coruncanios Camerio, Porcios Tusculo, et ne vetera scrutemur, Etruria Lucaniaque et omni Italia in senatum accitos, postremo ipsam ad Alpes promotam, ut non modo singuli viritim, sed terrae, gentes in nomen nostrum coalescerent. Tunc solida domi quies; et adversus externa floruius, cum Transpadani in civitatem recepti, cum specie deductarum per orbem terrae legionum additis provincialium validissimis fesso imperio subventum est. Num paenitet Balbos ex Hispania nec minus insignes viros e Gallia Narbonensi transivisse? Manent posterius eorum nec amore in hanc patriam nobis concedunt. Quid aliud exitio Lacedaemoniis et Atheniensibus fuit, quamquam armis pollerent, nisi quod victos pro alienigenis arcebant? At conditor nostri Romulus tantum sapientia valuit, ut plerosque populos eodem die hostes, dein cives habuerit. Advenae in nos regnaverunt; libertinorum filiis magistratus mandare non, ut plerique falluntur, repens, sed priori populo factitatum est. At cum Senonibus pugnavimus: scilicet Vulsci et Aequi numquam adversam nobis aciem instruxere. Capti a Gallis sumus: sed et Tuscis obsides dedimus et Samnitium iugum subiimus. Attamen, si cuncta bella recenseas, nullum brevius spatio quam adversus Gallos confectum: continua inde ac fida pax.»

(Tacito, *Annales*, XI, 24)